

copiarum a Senatu creatus est , decem millium aureorum stipendio ad quadraginta millia in singulos annos addito , ea conditione , ut trecentos cataphractos , ducentos leviores equites semper paratos haberet . Guidoni Ubaldo ejus filio septuaginta quinque cataphractorum Præfectura tributa ; aut , si magis ei liberet , centum quinquaginta equitum levioris armaturæ , mille aureorum honorario adjecto . Nicolaus Teupolus ad Urbinate Orator missus est , ut Senatus primum exhibito decreto , ab illo , ut quamcelerrime in Cisalpinam se Galliam conferret , flagitaret : nihil enim non Venetorum modo ; sed foederatorum omnium rebus præstabilius esse , quam ut copiis Imperator auctoritate , atque rerum militarium usu edocetus præcesset , hoc præcipue tempore , quo de ratione belli administrandi agendum erat , frigorisque vi remittente , educi e castris milites oportebat : & ne illo absente , detrimenti aliquid oppida ejusdem paterentur , Senatui placere , ut Republicæ sumptibus tria millia peditum conficeret ; iis , quem sibi libuisset , præfectum daret , ut tranquillo animo , rebus suis in tuto collocatis , ad exercitum profici sci posset ; in id etiam pecunia transmissa . Præterea Francisco Insubrum Duci bellorum angustiis ad summam omnium rerum inopiam redacto , ut suas copias alere posset , decem aureorum millia mutuo data a Senatu sunt . Insuper Joanni Fulgosio suprema secundum Urbinate cura copiarum demandata est , ut , Urbinate absente , qui tum ad res suas invisendas Senatus permisso prefectus fuerat , exercitui Dux auctoritate , reique militaris experientia clarus non deesset ; atque Antonius Albertus , *Sapiens* , quem vocamus , *ordinum* delectus , qui ad illum tunc Brixiae comorantem contenderet , ad exercitumque deduceret . Ad Nanium legatum pecuniæ ad augendas copias missæ . Neque interea quæ ad vires maritimas augendas spectabant , omittebantur , Hieronymo Pesareo imperatore declarato , atque Alexander Pesareo Legato , Vincentioque Justiniano notharum præfecto quamprimum ab urbe discedere jussis : decem triremium trierarchi designati , cum ea mens Senatus esset , ut classis triremium quinquaginta numerum excederet ; ex quibus cum sexdecim ex foedere deberentur , quatuor præterea sunt adiectæ , ut ceteris foederatis jungerentur ; his Hieronymus Contare-

Guidoni U-
baldo Urbi-
natis filo
cataphra-
ctorum præ
fectura tri-
buta .

Nicolaus
Teupolus
ad Urbina-
tem orator-

Joanni
Fulgosio ,
absente Ur-
binato , co-
piarum im-
parium a
Venetis de-
latum .

Antonius
Albertus ad
Urbinate
missus .

Hierony-
mus Pe-
sareus classis
Imperator .

Alexander
Pesareus
classis Lo-
gatus .

Hierony-
mus Conta-
renus trire-
mibus cum
foederatis
jungerdis
præfector .